nominassem et ostendit mihi uestimentum suum miri candoris. et scriptum erat per circuitum eius literis aureis electa uiuencia nuncupor. Et interrogaui eam dicens Domina mea quare permissa sum sic errare in nomine tuo. ut appellarem te conniciam? Et dixit. Quoniam adducta sum ad conuiuia celestium sacramentorum. Cumque interrogassem eam unde nata fuisset respondit. De britannia (102v) nata sum. Interrogaui nihilo minus dominum meum de sanctis patronis uestris Bonosio et abramiolo qualis meriti coram domino [illegible] ~~[illegible]~~ extitissent. Et ait. Sancti ab ineunte etate fuerunt ante dnm et multum fructum fecerunt in populo dei. Et declarata ~~est~~ sanctitas eorum a domino in uirtutibus multis. quas operati sunt in curatione infirmorum et in resurrectione mortuorum. Et adieci dicens. Scito quoniam locus in quo continentur reliquie eorum multum meritis eorum sanctificatum est.

(amb.! to !)

10. X. 35